Quaestio medica quodlib. disputationibus agit.a In Scholis Medicorum die Jouis 22.a nouembris.

M. Claudio Bazin Moderatore.

An Morbi Remediis pari modo Contrariis oppugnandi?

Morbus omnis, si a nostra quaecunque est sanitas, in immoderatione alicuius excessus partiumque consistit. Immoderatio vero cum sit triplex, aut intemperies partium similarium propria, seu phlegmone, aut mala dissimilarium conformatio ab illa non orta, aut denique unitatis solutio utrisque pariter communis. ab intemperie nunc sola, nunc cum mala morborum fere omnium, quibus nos obijcimur, est fecunditas.

Immoderatio istiusmodi ad mediocritatem convenientem revocanda, si eatenus reddat ad naturam, reperdi enim corpus sublato morbo ad pristinum statum, ac plerumque ad multo meliorem potest, quatenus ab ea recesserit. quae in eo potius quam in mediocritate ac sanitate ipsa custodienda, Medicae artis gloria eluxit.

Illa revocatur contrariorum quidem omnium remediorum ope, sed medicamentorum expositius, quam alimentorum, quorum ambobus in morbis depellendis eadem qualitas esse debet, sed contraria qualitas non est satis, nam quantitas certa quoque, haec (quae indicatu difficilior) definienda est. definienda vero utriusque indicatio seu alterationis, seu evacuationis si opus à morbo solo, cuius solius curatio est, sumi debet.


Αλλοιωτικά certis primis qualitatibus suas actiones obeuntia, cum infra modum subsistunt quamquam minus detrimentum pariunt, morbum tamen non vincunt, cum eundem transilium gravius peccatum inducunt. Cathartica tota substantia non manifesta illa qualitate Cacochymiam emendantia cum debiliora sint in humores similes inani conatu excitantur, vehementiora vero evacuationem nimiam moliuntur. At quae tanto excessu administrantur, quanto intemperies aut repletio à naturali statu recessit, aegrotos à morbo vindicant.

Sic febris ardens, aut phrenitis refrigerante medicamentum ignavius aspernata, et à potentiore veluti narcotico in lethargum deteriorem (quia qualitatum duarum primarum servitas est impar) conuersa, tandem pari sanatur, et magna repletio vel in apoplexia copiosa evacuatione tollitur. Quamquam in omni morbo virtutis, et caeterarum indicationum nomine nonnihil aliquando addendum vel demendum.

Ergo Morbi Remediis pari modo Contrariis oppugnandi.

Proponebat Lutetiae M. Joannes Le Pescheur fertalcaensis Senonensis. A. M.D.LXXI.

Domini doctores disputaturi.



M. Claudius Bazin Praeses.
M. Joannes Lamy.
M. Henricus Blacuod.
M. Hugo Prevosteau.
M. Nicolaus Ellain.
M. Joannes le Conte Prof. Reg.
M. Philippus Allen.
M. Claudius Tariquet Decanus.
M. Ludouicus Cochin.